A. D. 1916. Nrus XIII.

CURRENDA

Spowiedzi i spowiednicy zakonnic.

Z powodu pewnych wąpliwości co do postanowień dekretu św. Kongregacyi Zakonów z dnia 3. lutego 1913. „De monialium et sororum confessionibus“[1]) zwrócił się Ordynaryat lincki do Kongregacyi Zakonów z następującymi pytaniami:

Beatissime Pater.

Quoad Decretum S. C. de Religiosis d. d. 3. Febr. 1913, „De Monialium et Sororum Confessionibus“ in hisce regionibus graves exortae sunt controversiae circa sequentia:

I. Si quando Moniales aut Sorores extra propriam domum, quavis de causa, versari contigerit, licet iis (ex N. 14 eiusdem Decreti) in qualibet ecclesia vel oratorio, etiam semipublico, confessionem peragere apud quemvis Confessarium pro utroque sexu adprobatum. Porro illud „liceat“ ab aliquibus ita intelligitur, ut afficiat ipsum valorem absolutionis, si quando Moniales aut Sorores non in ecclesia vel oratorio, saltem semipublico, sed in oratorio stricte privato confessionem peragunt; alii e contra illud verbum „liceat“ solum de prohibitione confessionis extra oratorium saltem semipublicum intelligunt, ipsum vero valorem absolutionis haud negandum esse putant.

II. Cum ex memorata dispositione Decreti certo quoad liceitatem confessionis extra domum propriam requiratur aut ecclesia aut oratorium saltem semipublicum, ulterius dubitatur, num Ordinarius permittere possit, ut Moniales aut Sorores, quae non raro apud nos etiam oratorio semipublico carent, confessionem „intra propriam domum“ peragant in cubiculo quodam decenti, in quo exercitia religiosa quotidiana peraguntur, et quidem in confessionali crate interposita. Videtur enim requiri, ex Decreto, oratorium saltem semipublicum pro confessione saltem licite peragenda, non solum extra, sed etiam intra propriam domum.

III. Ex eodem Decreto N. 1. Confessarius ordinarius dari debet unicuique religiosae „Communitati“ tum Monialium, tum Sororum. Adsunt porro apud nos in multis parochiis duae vel tres et vix quatuor recentiorum Congregationum Sorores, puellarum educationi, infirmorum necessitatibus aut aliis indigentiis caritatis inservientes.

[1]) Cfr. Curr. VI. ex a. 1913. pag. 47. sqq. et VII. eiusdem a. pag. 67 sqq.

Porro illae Sorores communiter, sed extra clausuram degentes, non habent Sacellum privatum, sed ecclesiam vel aliud oratorium semipublicum frequentant, ibidem Missae et ceteris officiis adsistentes, sacramenta, tum poenitentiae, tum Eucharistiae recipientes; illae insuper Sorores saepius de una parochia in aliam transeunt secundum Superiorissae Generalis voluntatem.

Cum igitur ex una parte in numero tam exiguo Sororum deesse videatur stricta „Communitas“ religiosa, de qua in Decreto, et ex altera parte ipsum Decretum numerum sat magnum Sororum praesupponere videatur; quaeritur, utrum ex iudicio prudenti Ordinarii pro verificanda Communitate statui possit numerus quidam certus, quo deficiente, cesset etiam obligatio pro Episcopo dandi Confessarium ordinarium pro tali parva domo religiosa, uti jam in simili casu S. C. EE. et RR., die 22. Aprilis 1872, ad 3. pronunciavit.

Cum ipsi theologi in diversas sententias abeant, humiliter peto dubiorum solutionem, ut praxis Confessariorum circa Sorores certo quodam regimine dirigi queat.

Odpowiedź Kongregacyi opiewa:

Vigore specialium facultatum a SSmo Dno Nostro concessarum S. Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, mature perpensis expositis, rescribendum censuit prout, rescribit:

Ad primum: Verbum „liceat“ Numeri 14. Decreti „Cum de Sacramentalibus“ neque respicit validitatem confessionum, neque continet prohibitionem confessionem peragendi in alio decenti loco.

Ad secundum: „Affirmative“; idest posse Ordinarium permittere, ut Sorores confessionem peragant, intra propriam domum, in alio decenti loco, extra eclesiam vel oratorium semipublicum, si adsit; sed semper in confessionali, crate interposita.

Ad tertium: Obligationem non adesse nominandi confessarium ordinarium pro Sororibus, si earum Communitas sex saltem Sororum numerum non attingat.

Datum Romae, die 3. Juli 1916.

† D. Card. *Falconio Epus Velit*, Praef.
† *Adulphus, Epus Canopitan*, Secrius.

S. Congregatio de disciplina Sacramentorum.

PRAESUMTAE MORTIS CONIUGIS.

Species facti. — Mulier P. N. matrimonium die 9. iulii 1879. contraxit cum T. R. Maxima concordia viguit inter sponsos, qui, postquam in duobus locis cuiusdam amplae regionis Americae commorati sunt, se contulerunt W. in eadem regione, ubi vir T. R. in ferreis fodinis, ut faber ferrarius, addictus fuit. Anno 1890. mulieri, quae tunc oppidum M. petierat ad suos parentes invisendos, pluries vir eius scripsit, addito etiam consilio, ut aliquandiu illic remaneret, donec videlicet ipsorum filioli ad Sacram Synaxim primitus suscipiendam parati essent; locus enim W., in quo residebant, templo carebat. In postrema epistola vir uxori nuntiavit se quoque esse proxime migraturum in locum R., ut suos propinquos inviseret; verum in hunc locum — testibus iisdem

propinquis — nunquam pervenit. Immo ex eo tempore (anno 1890.) neque testes, neque uxor quidquam de viro audiverunt, etsi plurima in ipso perquirendo opera consumpta fuerit.

Cum autem mulieri, de vita mariti iam desperanti, nova interim occasio nubendi se obtulisset, supplicem libellum Ordinario ipsa porrexit ad facultatem impetrandam secundas nuptias ineundi causa. Episcopus rem exposuit huic S. Congregationi, quae eidem rescripsit: „Ordinarius procedere non dedignetur ad normam Instructionis S. Officii Matrimonii vinculo an. 1868“. Verum, expletis investigationibus, cum Ordinarius iudicium ferre non auderet, acta procesus ad hanc S. Congregationem misit.

Argumenta. In casu exposito desunt utique probationes directae, siquidem nemo comparuit, qui de viri morte tamquam testis vel ocularis vel auricularis testimonium proferre potuerit. Verum talia concurrunt adiuncta et circumstantiae, quae, simul collecta, maximam probabilitatem seu moralem certitudinem exhibent praesumtae mortis. Et

1) ipse disparuit anno 1890. scilicet a vingitiquinque et amplius annis, quin vel minimum de ipso resciri potuerit, etsi uxor et propinqui et Societas Fodinae Ferrariae, cui ille tamquam opifex addictus erat, nihil intentatum reliquerint ad eum reperiendum.

2) Rationabiliter praesumi nequit virum voluisse familiam deserere. Ipse enim uxorem, liberos et parentes continuo prosequebatur amore. „Felices — sic deposuit mulier in processu ecclesiastico sub iuramento vinculo — in nostro matrimonio vivebamus. Deus tres filios nobis elargitus est, quos maritus meus maxime diligebat“. Huius dilectionis signa indubia habentur in epistolis ab eo uxori conscriptis, in quarum postrema ipse nuntium dabat proximi sui itineris in locum R. ad suos parentes invisendos. Iamvero in praefatum locum R. — testibus iisdem propinquis — nunquam pervenit; neque de viro deinceps quidquam auditum est. Ad excludendam insuper hypothesim desertionis familiae maxime confert factum, in actis relatum, quod scilicet vir, minime dives, domum suam in loco W. deseruit supellectilibus instructam, quin inde secum quidquam abduxerit. Hoc satis aperte manifestat eiusdem voluntatem eo redeundi cum uxore et filiis.

3). Animadverti insuper debent pericula, quae in illis Americae regionibus viro impendebant, dum iter peragebat. Ex actis enim processus apparet ad petendum locum R., in quo viri parentes extabant, ipsum transfretare debuisse magnum lacum. Nil ergo mirum, si praedictus faber ferrarius, affectus in brachio aliqua infirmitate, deditus vino et liquorum potionibus, uti testes referunt, in ipso itinere aliquo infortunio perierit.

4) Nec defuerunt in illis regionibus tum privatae tum publicae inquisitiones ad ipsum inveniendum, quae nullum sortitae sunt effectum. In ipsis etiam regestis carcerum requisitum est eius nomen et cognomen, sed incassum. Unde

5) communis exorta est persuasio in iis locis fabrum ferrarium diem supremum obiisse causa alicuius infortunii, quin familiae quidquam patefacere potuerit. Et revera ex adiunctis nulla alia causa tam diuturnae ipsius absentiae rationabiliter assignari potest.

6) Rmus Ordinarius acta processus remittens et amplum reddens testimonium de honestate et veracitate mulieris, suam profert favorabilem opinionem super praesumptam viri mortem.

Emmi ac Rmmi Patres huius S. Congregationis, in generali conventu habito die 25. februarii nuper elapsi, omnibus mature perpensis, proposito dubio: An oratrici P. N. permitti possit transitus ad alias nuptias in casu, respondendum censuerunt: affirmative.

† ALOISIUS CAPOTOSTI, EP. THERMEN.
Secretarius.

Piąta pożyczka wojenna.

C. k. Namiestnictwo reskryptem z dnia 14. listopada b. r. L. 6100. XIX/2192 odniosło się do Nas w sprawie nowej pożyczki wojennej z prośbą, abyśmy akcyę tę według możności poparli. W wykonaniu tego reskryptu odzywamy się niniejszem do P. T. Duchowieństwa dyecezalnego, aby ze względu na patryotyczny cel pożyczki i daleko idące udogodnienia, z których będą mogli korzystać subskrybenci, nietylko jak najwydatniej uczestniczyło w subskrybcyi, ale i na ludność przy nadarzających się sposobnościach zachęcająco wpływało.

Mutationes inter Venerabilem Clerum.

Decoratus privil. Expos. can: A. R. D. *Piekarzewski Iosephus*, Par. in Ocieka.

Collata sunt beneficia: Tropie R. D. *Piś Andreae*, Coop. ad pers. in Łukowica et Łączki kucharskie R. D. *Kronenberg Michaëli*, Coop. in Rzochów.

Praesentatus: R. D. *Pabian Ioannes*, Catech. in Nowy Sącz, ad benef. in Wilczyska.

Constituti: RR. DD. *Jakus Sigismundus*, Coop. in Nowy Sącz, Administr. benef. in Lipnica wielka et *Kronenberg Michaël*, Coop. in Rzochów, Administr. benef. in Łączki Kucharskie.

Translati: RR. DD. *Stec Iacobus*, Admin. benef. in Lipnica wielka, ad Dembno; *Śledź Iosephus*, Coop. in Dembno, ad Rzochów; *Wielgus Ioannes*, Coop. in Niedźwiedź, ad Radgoszcz; *Oleksik Antonius*, Coop. in Olesno ad Szczucin, *Chłoń Michaël*, Coop. in Szczucin, ad Nowy Sącz; *Wójcik Ioannes*, Coop. in Bobowa, ad Kruźlowa ad pers.; *Kaczmarczyk Antonius*, Coop. ad pers. in Kruźlowa, ad Niedźwiedź et *Kurek Ladislaus*, Coop. in Radgoszcz, ad Olesno.

Z KONSYSTORZA BISKUPIEGO.

W Tarnowie, dnia 1. grudnia 1916.

Ks. Dr Władysław Mysor
kanclerz

† Leon
Biskup

Nakładem Kleru Dyecezalnego. Z Drukarni Zygmunta Jelenia w Tarnowie.